

prosapia tua regali matrimonio, ac confederationibus et amiciciis inter te, fili carissime, regemque prefatum olim initis tenaciter observandis et roborandis, destinavimus prefato regi per dictum episcopum expositis, rex idem voluit quod dictus episcopus et unus miles consiliarius dicti regis cum prelibato archiepiscopo et aliis nuntiis regiis super premissis diligenter tractarent, et licet tractando de filia dicti ducis copulanda prenominato Infanti matrimonialiter tractatum primo habuerint satis longum, quia tamen adhuc etatis nubilis non existit, se ad dilectam in Christo filiam nobilem puellam Blancham natam clare memorie Philippi regis Navarre suum convertentes tractatum, tandem extitit ordinatum quod supradictus Infans eandem Blancham in sponsam recipiat et uxorem et quod predictae confederationes et amicicie roborentur et taliter augeantur, quod ex eis tibi, fili dilectissime, ac regi predicto et utrique domui felicia honoris et comodi, Deo propitio, prove-niant incrementa.

Datum Avinione, vi kalendas augusti, anno quarto.

Reg. Vat., 139, n° CLXIV.

Item in eodem modo regine, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

Ibid., n° CLXV.

12

Traité d'alliance entre la France et la Castille.

Léon, 1^{er} juillet 1345.

Procuratores et nuncii et tractatores serenissimorum principum dominorum regum Francie et Castelle, scilicet Johannes de Vianna archiepiscopus Remensis, Johannes de Timaro, abbas Beate Marie de Columbis, Savarinus de Vivona, dominus de Torcio et Reginaldus de Vianna, thesaurarius Remensis, procuratores et nuncii domini regis Francie et Guondissalvus episcopus Seguntinus et Ferrandus Sancii de Valleleti, miles, major notarius in Castella,

tractatores nomine regis Castelle, non recedendo in aliquo a confederacionibus, pactionibus et amiciciarum liguaminibus factis et initis inter dictos dominos reges, heredes et successores eorum in toto vel in parte sed eisdem firmiter inherendo, easdem laudando, approbando, confirmando, fortificando, addendo et augmentando absque eo quod in aliqua sui parte predictæ confederaciones per ea que sequuntur modo aliquo infringuantur, faciunt et promittunt pactiones, confederaciones et amiciciarum liguamina perpetuis temporibus duratura inter ipsos dominos reges, heredes et successores suos reges Francie et Castelle, prestito corporaliter iuramento videlicet quod dominus rex Castelle qui nunc est, heredes et successores sui reges Castelle, regna sua et dominia, terra et subjecti iuvabunt et confortabunt perpetuis et futuris temporibus dominum Philippum regem Francie qui nunc est, heredes et successores suos reges Francie et regnum Francie contra omnem hominem viventem et victurum ad deffensionem et tuicionem dicti domini regis Francie, heredum et successorum suorum, honoris et status sui et regni et corone Francie; et modo consimili, dominus rex Francie, heredes et successores sui reges Francie, regnum, terre, dominia et subjecti sui iuvabunt et confortabunt perpetuis futuris temporibus dominum Alfonsum regem Castelle et Legionis qui nunc est, heredes et successores suos reges Castelle et Legionis et regna sua contra omnem hominem viventem et victurum ad deffensionem et tuicionem dicti domini regis Castelle et Legionis, heredum et successorum suorum, honoris et status sui et regnorum suorum, corone, domini sui, prout in ultimo articulo priorum confederacionum et liguaminum inter dictos reges et heredes suos et successores dudum initarum plenius continetur; cujusquidem articuli tenor sequitur in hec verba: sane si unus dictorum regum et principum habeat guerram seu sit verissimiliter habiturus eandem, requirat alterum de gentibus armorum per mare seu per terram et de navigiis, navibus et gualeis suis seu subditorum suorum, et ille qui sic requiretur non habeat guerram tunc vel si habeat, sit talis vel adeo modica quod non obstante impedimento guerre quam haberet possit sufficere ad guerram sustinendam huiusmodi et ad faciendum id quod requiretur, volet et promittet quod requirens predictus possit habere de gentibus armorum dicti requisiti et subditorum suorum per mare seu per terram et de navigiis, navibus et gualeis de voluntate et consensu dicti regis sic requisiti et dictarum gencium armorum et dominorum navigiorum, navium seu gualearum huiusmodi, cum missionibus et expensis dicti requirentis,

proviso tamen statui, tuicioni et deffensionis regni seu regnorum regis qui sic fuerit requisitus; et insuper promittunt et jurant dicti nuncii et procuratores et tractatores utriusque regis quod uterque rex, heredes et successores sui reges Francie et Castelle et Legionis proibebunt (*sic*) expresse, videlicet quilibet rex subditis suis quociens opus erit et unus ab altero fuerit requisitus quod non vadant nec sint in auxilium et iuvamen cujuscumque persone viventis clam vel palam, directe vel indirecte, volentis et attemptantis dampnum et lesionem inferre in regno, terris et dominiis alterius dictorum dominorum regum per mare vel per terram. Et si aliquis subditorum alterius regis, heredum et successorum suorum, quod absit, contrarium faceret, dominus facientis seu faciencium contrarium taliter illum vel illos puniet in corpore et in bonis, quod alteri regi clare patebit quod alter rex nec gratum, nec ratum habuit quod contra presentem confederacionem, pacta et amiciciarum liguamina per suum subditum fuerit factum. Et nichilominus, si aliquis subditorum dictorum dominorum regum vel ipsorum alterius, quod absit, faceret contrarium in aliquo premissorum, hoc non obstante, predictæ presentes confederaciones, promissiones et amiciciarum liguamina et alie jamdudum inite, rate et integre in sui omnimoda parte stabunt et habebunt perpetuam roboris firmitatem; puniet tamen quilibet dictorum dominorum regum subditum suum contrarium facientem, prout superius est premissum. Item si contingeret quod rex Castelle et Legionis qui nunc est, heredes et successores sui reges Castelle et Legionis qui pro tempore fuerint, haberent guerram cum quocumque rege vel quibuscumque regibus christianis vel eorum regnis, non poterit inire treugas, sufferenciam vel abstinenciam guerre facere quin in treugis, sufferenciis et abstinenciis contineatur et nominetur expresse rex Francie qui nunc est et qui pro tempore fuerit, regnum et dominium suum totum; parique modo, si contingat regem Francie qui nunc est, heredes et successores suos reges Francie guerram habere cum rege Anglie, heredibus et successoribus suis Anglie regibus vel Anglicis vel cum aliis quibuscumque regibus christianis et cum eis inire treugas, sufferenciam vel abstinenciam guerre, rex Castelle et Legionis qui nunc est et heredes et successores sui reges Castelle et Legionis qui pro tempore fuerint, continebuntur et nominabuntur in treugis, sufferenciis et abstinenciis guerre cum regnis et eorum dominiis, nec alias possint tales iniri treuge, sufferencia vel guerre abstinencia quovismodo. Item si aliquis predictorum dominorum regum iniret

amiciciam cum aliquo rege christiano, quod teneatur iniens tractare et inire ipsam pro alio rege quemadmodum pro se ipso, et alias non possit. Item, quod observentur omnes donaciones et gracie quas rex Castelle fecit suis filiis et domine Helionori matri eorumdem; et si aliquis dictorum regum et sui heredes et successores vel aliquis eorumdem veniret contra istud aliquo tempore in toto vel in parte, quod requisito ex parte dicte domine Helionoris et suorum filiorum vel alterius eorumdem, illo ex eisdem regibus, heredibus vel successoribus ipsorum qui in contrarium faceret vel veniret et in ipsius defectum altero ipsorum regum, heredum vel successorum ipsius et non cessante ab impedimento vel non amovente illud et non satisfaciendo, quod propter hoc sint fracta omnia ista pacta supradicta, sicut essent pro quolibet aliorum supradictorum non observatorum. Item, omnia et singula jurabunt predicti procuratores et nuncii et tractatores, habitis procuratoriis, quilibet in animam domini sui fideliter et inviolabiliter observare, et jura-menta procuratorum, nunciorum et tractatorum ratificabunt domini reges predicti et quilibet ipsorum. Item, archiepiscopi et episcopi exempti, decem barones de majoribus, habentes etatem legitimam et communitates decem civitatum de majoribus utriusque regni, omnia et singula premissa et in quolibet articulorum predictorum contenta jurabunt tenere, observare et de puncto in punctum inviolabiliter adimplere. Item, idem fiet in contractu matrimonii filie domine regine Navarre de regno et subditis Navarre per dominam reginam Navarre.

Et est sciendum quod de premissis fuerunt facte littere duplicate ejusdem tenoris quarum unas (*sic*) procuratores et nuncii predicti domini Francie regis portarunt et alie prefatis tractatoribus dicti domini Castelle et Legionis regis remanserunt. In quorum premissorum omnium et singulorum fidem et testimonium, nos supradicti archiepiscopus, abbas et thesaurarius et nichilominus nos archiepiscopus vice prenominati domini de Tors litteras ignorantis ad ejus instanciam, nuncii et procuratores dicti domini nostri Francie regis, et nos Gundissalvus Segontinus episcopus, Legionis major notarius et Ferrandus Sancii de Valleoleti, miles, notarius major Castelle, tractatores pro dicto domino rege Castelle ad predicta specialiter deputati, nomina nostra et vos dictus archiepiscopus nomine dicti militis, presentibus subscripimus (*sic*) litteris, et nichilominus omnes insimul et nostrum quilibet nominibus quibus supra, sigilla nostra duximus eisdem litteris apponenda.

Actum in civitate Legionensi et datum prima die julii, anno

Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto et secundum modum yspanicum, Era millesima trecentesima octuagesima terciā.

Heliaz.

(Sur le repli se lisent les signatures suivantes, au-dessous desquelles sont les sceaux sur double queue de parchemin):

J. de Viana, archiepiscopus Remensis.
Gundisalvus, episcopus Seguntinus.
J. de Timaro, abbas de Columbis,
Savarinus de Vivona, miles.
Reginaldus de Viana, thesaurarius Remensis.

(Les sceaux de l'archevêque de Reims, de l'évêque de Sigüenza, de Savari de Vivonne subsistent très mutilés; les deux autres manquent.)

Archives Nat., J 602, n° 44.

13

Traité d'alliance entre la France et la Castille, où les cas particuliers qui peuvent se présenter sont prévus.

Léon, 1^{er} juillet 1345.

Procuratores, nuncii et tractatores serenissimorum principum dominorum regum Francie et Castelle, scilicet Johannes de Viana, archiepiscopus Remensis, Johannes de Timaro, abbas Beate Marie de Colombis, Savaricus de Vivona, dominus de Tors et Reginaldus de Viana, thesaurarius Remensis, procuratores et nuncii domini regis Francie, et Guandissalvus (*sic*), episcopus Segontinus ac Ferrandus Sancii de Valleoleti, miles, major notarius in Castella, tractatores nomine domini regis Castelle faciunt, conveniunt et juramento una pars alteri vicissim nominibus quibus supra promittunt pactiones, convenciones et amiciciarum alligaciones inter dictos dominos reges pro se et suis valituras que secuntur, videlicet quod si contingat regem Bellamarini cum sua potestate, vel ejus potestatem affretare vel transire ad invadendum regna vel dominium Castelle, dicto rege Francie per regem Castelle vel ejus certum